



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Jus Canonicvm R.P. Pavli Laymanni, Soc: Jesu Theologi, Et
Olim In Alma Et Episcopali Academia Dilingana SS.
Canonum Ordinarii Professoris**

Laymann, Paul

Dilingæ, 1666

Capitvlvm VII. Cùm olim.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62559](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62559)

lum definiendum, v. g. vtrum Iudex tanquam suspectus recusari possit, quippe quod citò expediri oportet, ne progressus causæ principalis impediatur, c. 2. de appellat. in 6.

Sequitur secundò: Quod tradit Bartol. in cit. Auth. n. 21. Si iudex delegatus communi partium voluntate electus sit, non esse locum reconventioni: quia sibi Reus conuentus imputare debet, quod in petitione Iudicis causam reconventionis non expresserit.

Porro ex textu huius c. generalis doctrina notanda est: Quod arbitrium, seu arbitramentum de ijs duntaxat ferri debet, super quibus compromissum est. Ita ver. Nisi de his: *Quia arbitria*, inquit, *stricta via incedunt, cum nihil extra compromissum facere possit arbiter*, l. non distinguemus, 32. §. ult. ff. hoc tit. Veniunt tamen etiam ea, quæ dependentia seu necessariò connexa sunt: vti sunt fructus percepti ex re, super qua compromissum est, teste Ioan. Andr. hic n. 6. Item illi, cui res litigiosa adiudicatur, imperetur pecunia, quam parti alteri dare debeat in cõpensationem dubij sui iuris, sicuti Molina explicat n. 6. Deinde, licet arbiter partem multare non possit, v. g. propter contumaciam eius in parendo, nisi de pœna conuentum fuerit; potest tamen condemnare ad præstandas expensas & sumptus, vti idem Ioan. Andr. monet cit. loco. Denique potest diem solutioni assignare, iuxta l. Quid tamen, 21. §. Intra tantum, & l. Celsus, 23. ff. eod. & tradit Gl. cit. Innocent. hic, & alij.

CAPITVLVM VII.

Cum olim.

PARAPHRASIS.

Controuersia erat inter Priorem Ecclesiæ S. Bartholomæi, & Hospitalarios S. Bartholomæi de iure eligendi Rectorem Hospitalis, quod Prior sibi competere dicebat. Ea causa Iudicibus delegata erat: in quos denique partes compromiserunt, tanquam in arbitros: Il arbitrium tulerunt,

atque in publico instrumento Romanam miserunt ad Innoc. III. qui inspecta diligenter forma arbitrij, cognouit, quod Prior teneatur cum fratribus Hospitalis tractare de idoneo Rectore, audito consilio eorum; ac postea aliquem eligere: Quapropter si is electionem alio modo instituerit, irrita iudicari debet: Sin verò præcesserit tractatus, seu consilium Fratrum auditum fuerit, tum Prior liberè eligere potest, quem voluerit, dummodò idoneum; siue Fratres in eundem consenserint, siue non.

S V M M A R I V M.

1. *Partes compromittere possunt etiam in iudicem seu ordinarium seu delegatum.*
2. *Qui in expeditione alicuius negotij tenetur aliorum consilium exquirere; non propterea & illud sequi cogitur.*

NOTANDVM I. Partes compromittere etiam possunt in Iudicem seu is ordinarius sit, seu delegatus, vti docet Gl. communiter recepta, c. cum tempore, ver. Magdeburgensis Episcopi, hoc tit. & quoad Iudicem ordinarium sumitur ex c. ex parte, 10. hoc tit. Confert autem tale compromissum ad hoc, vt à sententia appellari non possit.

NOTANDVM II. Qui ex lege, statuto, aut pacto in expeditione alicuius negotij tenetur adhibere consilium alterius, non propterea illud sequi cogitur. Ita etiam traditur in c. cum in veteri, 52. iun. Gl. ver. expectatum, de elect. & dixi de hoc in qq. de elect. q. 89. & videri hic potest Abb. n. 5.

CAPITVLVM VIII.

Contingit.

PARAPHRASIS.

In causa ecclesiastica compromitti non potest in laicum: cum non deceat, vt laici de causis ecclesiasticis cognoscant, aut arbitrentur.

O O O O O 2 S V M -